

MISAE

TOI 9

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reipol.  
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Trigesima prima,

*De*

BAPTISMO CHRIS-

TI ET MINISTERII

Inchoatione.

*Quam*

Annunte Θεολογίας

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum,*

*proponit*

CASPARUS SCHLIMBACH Schlei-  
fingensis Hennebergicus.

*Habebitur ad diem 24. Octob. horis pome-  
ridianis*

In auditorio minori.

WITEBERGÆ

*Johannes Gorman excudebat,*

Anno cl. 15 CXIX.

CHRISTOPH  
DIPLOMAT  
BAPTIST MOCHRI  
STREET M...  
Inchoatione  
Anno...  
1710  
Do. BALTHASARIS M...  
S. S. T. G. D. S. S.  
In...  
CASPARUS SE...  
In...  
WITTE ERG...  
Johannes G...  
Anno 1710



CONTINUATIO.

*De sacerdotibus ac Levitis in V. T. Exod. 29, 4.*

**V**erumtabernaculum Domini ingressuri, manus prius lavabant, quam in atrio sacris vacabant: ita verus & unicus Sacerdos N. T. Christus Iesus ministerium suum aggressurus, officiumque redemptionis consummaturus per baptismi susceptionem eidem inaugurari voluit. Historiam autem baptismi Christi, de qua postulante ordinis ratione, DEO clementer adjuvante in presentia dispiciendum, describit ἡ ἀγία τῶν εὐαγγελίων τετρακτὸς sacer quaternio Evangeliorum Matt. 3, 13. Marc. 1, 9. Luc. 3, 21. Iohan. 1, v. 29. & 32. quamvis Evangelista Iohannes alludendo saltem perstringat eam, videns procul dubio, ab alijs Evangelistis de illa satis superque literis esse proditum. Tamen autem augusta, planè & illustris hac est historia, cuius singule circumstantie dignae sunt, quae iustâ diligentiam considerentur, cum propter exordium ministerij Christi, tum etiam propter res gravissimas, quae in eadem continentur, hac tamen vice ut scitis notatūque, maximè necessaria excutiamus, quinque Capitula perspiculamur, acturi 1. de Circumstantijs temporis ac loci. 2. De causa ministeriali baptismum dispensante. 3. De ipso baptismi actu & miraculis eundem insecutis. 4. De causa finali, Cur Christus baptismum susceperit. 5. De succincta & pia hujus historiae praxi.

T H E S I S I.

In Epist. ad  
Reinac.

Duae sunt Circumstantiae, teste Chytraeo, quibus certitudo veritatis historicae demonstratur, nempe tempus & locus, operae precium itaque fuerit, si nos quoque hac in historia ad tempus & locum attendamus. Cum vero circa tempus, quae diem, quae mensis mira opinionum ac supputationum se offerat varietas, ideo impraesentiarum adeo curiosi esse nolumus, ut Scripturam duce & luce destituti certam aliquam diei ac mensis determinationem annotare praesumamus, sed simplici opinionum quarundam enarratione contenti, uno verbulo, cui sententiae aequiores simus, aperiamus.

II. Quidam postillatores (ita enim loquitur Chemnitius) & Pontificij certum praecisumque diem determinare non dubitarunt, asserentes, Christum sexto Ianuarij die baptizatum, sed 1. absque omni Scripturae fundamento: neque enim Evangelistae diem expresse annotarunt, neque ex circumstantijs historiae certo exacte & praecise colligi potest. 2. Absque omni vel probabili saltem ratione, nudam conjecturam duntaxat & incerta veterum traditione nixi.

III. Quidam quia Iordanis mensis tempore omnes suas ripas implere consuevit, ut legitur Iosuae 3, 15. & Sirac. 24, 36. idcirco ante messem contigisse hunc baptismum autumant, tum temporis enim ripae nondum fuerunt impletae, siquidem Christo & Iohanni in Iordanem descendendum fuisse, inde probatur, quod Iesus baptizatus protinus ex aqua ascendisse dicitur.

4. Alij

IV. Alij putantes Iohannem Baptistam ministerium suum inchoasse in ipso tubarum festo, hoc est, primo die septimi mensis, statuunt, Christum fuisse baptizatum decendio post in ipso expiationis festo, & sic verum propitiationis festum per Mosaicum obscurius adumbratum inchoasse & celebrasse. Vnde quidem elegantissima Veteris & Novi Testamenti analogia institui potest, licet hujus supputationis vestigia in historia Evangelica nullibi deprehendantur.

V. D. Chemnitius ex verisimilibus conjecturis tempus baptismi & ministerij exordium deducit ad principium Decembris vel ad finem Novembris, si nempe festum Paschatos ponatur vel usitato modo ad 25. Martij vel juxta Epiphanium ad 19. Martij. Nos nihil jam determinamus, sed omnia in medio relinquentes Chemnitij sententiae plurimum favemus.

VI. Cum primis autem temporis notatio indicat etatem Christi, quam ex omnibus Evangelistis solus Lucas annotavit, quod nempe hic baptismus peractus sit, anno etatis 30. ab assumptione humane carnis, qua in etate etiam Levitici sacerdotes ad publica ministeria admissi sunt.

VII. Occurrunt autem hic iterum discrepantes opiniones, dum quidam annos 30. completos intelligunt, quidam incompletos. Epiphanius Christum, cum baptisaretur 29. annorum & 10. mensium fuisse affirmat: Hieron. exacte 30. annorum: Chry-

Num. 4.

v. 47.

Pelargus

super Matt.

p. 51.

sofomus, alijsq, cum eo annum 30. excessisse; alijs  
cum Irenæo initium 30. constituunt.

Barradius  
lib. 1. cap. 13.

VIII. Verba Luce sic habent: Ipse Iesus erat inci-  
piens fermè annorum 30. Duplex autem sensus at-  
tribuitur his verbis, 1. A nonnullis participium  
ἄρχουσα & refertur ad annos, hoc modo: Chri-  
stus tunc cum est baptizatus, annorum ferè 30. esse  
incipiebat. 2. Alij participium ἄρχουσα & non  
ad annos, sed ad officium publicum seu ostensionis  
exordium adjungunt, hoc sensu: Erat Iesus inci-  
piens se hominibus declarare, docere, & suum mu-  
nus obire, cum natus esset ferè annorum 30. supe-  
rabat enim 29. annum, & aliquid amplius adhuc,  
quasi dicat Lucas, Erat Iesus incipiens quasi 30. an-  
norum, incipiens scilicet, se alijs manifestare &  
predicare; qui posterior sensus magis placet Bar-  
radio Iesuite d. l. & probari posse censet ex Act. 1.  
v. 22. & cap. 10, 37. Hinc jam constat, quoto an-  
no Christus baptizatus sit, nempe 30. sed adhuc cur-  
rente & incompleto, brevi tamen complendo,  
unus enim & alter mensis adhuc fortasse absuit.

IX. Vesania autem maxima est Anabaptistarum,  
qui ob exemplum Christi anno ætatis 30. baptizati,  
etiamnum baptismum infantum, si non præcisè in  
annum 30. at certè in annos discretionis procrastin-  
andum censent, atq, idcirco Pædabaptismum  
abominantur & execrantur. Præterquam enim,  
quod exemplum Christi planè singulare est & ex-  
traordinarium, ex quo sine divino mandato re-  
gula



gula generalis extrui nequit, hæc potissima erat  
caussa, quod Christus in infantia non est baptiza-  
tus, quia baptismus tum temporis nondam erat in-  
stitutus, quippe qui cœpit demum anno ætatis 29.  
sub ministerio Baptiste, id quod non obscure colli-  
gitur ex Luc. 3. v. 2. & 3. Deinde Christus bapti-  
smum distulit usq; ad annum 30. quia non erat  
periculum, ne præveniretur morte, quæ ratio in in-  
fantibus expirat. Si itaq; juxta Anabaptistarum  
dogma baptismus datus infantibus, non est verus  
baptismus, sequeretur, omnes in ætate infantili  
baptizatos non accepisse verum baptismum, id  
quod oppidò absurdum.

X. Altera Circumstantia ad confirmationem rei  
gestæ plurimum faciens est LOCUS, qui Iordane:  
Nam ibi Iohannes tum temporis baptizabat,  
& propter aquarum affluentiam baptismo erat ac-  
commodatissimus. Fluvius hic in Iudæa est notissi-  
mus & in Scriptura sacra simul celebratissimus,  
cum primis ob miracula, quæ in isto acciderunt:  
per hunc enim Israëlita transverunt duce Iosua è  
deserto pergentes in Palestinam, Josuæ 3. v. 16.  
Elias pallio Iordanem percutiens in duas partes  
eum divisit, & per siccum cum Elisa transit. Eo- 2. Reg. 2, 8.  
dem in Iordane Naaman leprosus sanatus est, cum  
juxta verbum viri DEI prius in eodem septies la-  
visset. 2. Reg. 5, 14.

XI. Iohannes Evangelista specialiore loci nota-  
tione exprimit, asserens, quod Iohannes solitus sit

A 4

bapti-

baptizare in Bethabara, que domum transitus significat, hoc est, locum, ubi trajici potuit vel vado vel navigio. Hinc quidam ex Patribus sentiunt, Iohannem eo Iordanis loco baptizasse, quo Israëlitæ post servitutem Egyptiacam per arenam fluminis alveum egressi sunt, ubi duodecim lapides de medio Iordanis alveo sublasi, fuerant collocati. Quæ sanè cogitationes nec malæ sunt, nec impiæ.

C A P. II.

XII. A loco & tempore descendimus ad causam ministerialem baptismi Christi, quam omnes Evangelistæ memorant, fuisse Iohannem baptistam, cui soli concessum fuit & prænunciare absentem & videre præsentem. Is baptismationis ritum de suo cerebro non excogitavit, sed divino mandato eum inchoavit. Sic enim scriptum Luc. 3, 2. factum est verbum Domini ad Iohannem, &c. Et Iohan. 1, 33. ipse fatetur, qui misit me, ut baptizarem aquâ, is dicit mihi &c. Hinc baptismus Iohannis dicitur fuisse de cælo & consilium DEI. Cum itaq; baptismus Iohannis suam à DEO ducat originem, non possumus facere cum illis, qui olim putârunt & adhuc putant, eum fuisse nudam duntaxat ceremoniam omni effectu spirituali destitutam, nam quod hæc opinio erronea sit, ex allegatis dictis facile patet.

XIII. Quoniam verò Christus & Iohannes diversis in locis educati sunt, nec alter cum altero ante annum 30 familiariter conversatus fuerat, idcirco  
Spiri-

Matth. 21.  
v. 25.  
Luc 7. 33.

Spiritus sanctus inspiratione quadam arcana re-  
velavit Iohanni, hunc Iesum esse Dominum suum,  
cujus ipse praecursor esset. Hinc tanta pietatis &  
humilitatis erat Iohannes, ut Christum adven-  
tanti baptismumq; petentem prohiberet & ob-  
stupefactus quasi in haec verba erumperet, Ego opus  
habeo, ut abs te baptizer, & tu venis ad me: se  
enim indignum est ratus, qui Messiam baptizaret.  
Auditâ verò Christi resolutione à prohibitione de-  
stitit, & ad baptismum lubentissimè admisit.

XIV. Planè autem credibile est, quòd Iohannes  
hunc baptismum peregerit, non absq; singulari Spi-  
ritus exultatione, tum quia in implenda parte ju-  
sticiae Christus ministerio suo uti voluit, tum quia  
ex divino Oraculo Iohan. i. v. 33. eidem constabat,  
fore ut Messias in baptismo suo manifestaretur,  
nempe per miraculosam Spiritus sancti in specie  
columbae descensionem, quae etiam certò subsequuta  
fuit, non cum soli essent Christus & Iohannes, sed  
uti Lucas expressè meminit, cum omnis populus  
baptisaretur.

XV. Christus itaq; baptisatus à Iohanne proprio  
suo exemplo non solùm comprobavit baptismum  
Iohannis, verùm etiam eidem auctoritatem ali-  
quam conciliare voluit, quòd non ex hominibus,  
sed ex DEO esset.

XVI. Hic incidit quaestio, An baptismus Iohannis  
idem fuerit cum Christi, Apostolorum adeoq; omnium  
ecclesiae Christi ministrorum baptismo? Resp. Vnum &  
eundem fuisse, nec nisi ministeriali efficiente causa vel

etiam externâ quâdam circumstantiâ distinctum, quæ tamen ipsi substantiæ nihil detrahit, nempe Iohannes baptisavit in Christum à non longè venturum, sed iam venientem vel potius manifestandum: Apostoli verò & nostrarum Ecclesiarum ministri in eundem exhibitum.

Marc. 1, 4.  
Luc. 3, 3.

XVII. Conveniunt enim 1. Causâ efficiente seu primo autore, qui DEVS. 2. Communi à DEO accepto mandato. 3. Materia seu elemento, quæ aqua. 4. Formula baptizandi. 5. Fine & effectis, quia Iohannes quoq; baptisavit in remissionem peccatorum. Et nisi unus idemq; statuatur baptismus, absurda sequerentur. 1. Christum alio & diverso baptisate esse baptizatum à nostro, adeoq; nostrum baptismum non consecrasse nec sanctificasse. 2. Apostolos à Iohanne baptisatos diversum à nostro accepisse baptisma: quidam enim si non omnes, antequam à Christo vocati essent discipuli Iohannis fuerunt, utpote Andreas. Petrus, Philippus Joh. 1, 40. Quod si ita est, quomodo stabit illud Apostoli Ephes. 4, 4. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma?

XVII. Hinc liquidò constat, falsum & erroneum esse Canonem Concilij Tridentini, qui sic habet: si quis dixerit, baptismum Iohannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit. Falsa item Iesuitarum consecraria: Per Baptismum Iohannis non fuisse remissa peccata, Et, post baptismum Iohannis necessario percipiendam fuisse baptismum Christi.

CAP.

C A P. III.

XIX. Perspicuum est ex precedente Cap. Baptistam conatum fuisse Christi propositum impedire vel verbis vel etiam injectâ manu, singularis tamen modestiæ exemplo, sed cum Christus instaret, & utriusq; officij rationem hoc exigere asseveraret, acquievit & annuit Iohannes absq; ulteriori tergiversatione. Descendunt itaq; ambo in Iordanem & ibi Christus pro admiranda sua humilitate à Iohanne baptismo tinctus est, nempe Dominus à servo, Sanctus in Israël à peccatore, Creator à creatura, & quidem aquâ Iordanis præterfluente, non autem distillatitia, factitia, medicata, nec certis preculis, consecrationibus & exorcismis preparata, id quod Pontificijs solenne esse constat. Quærenti, num baptisatio Christi facta sit immersione corporis Christi in aquam, an aquæ super corpus effusione, eaq; trina vel una duntaxat ei resp. ex vulgato illo Theodoretî, me non aded confidentem esse, ut audeam aliquod affirmare, quod Scriptura silentio præterit. Rem scimus, modum nescimus.

XX. Notatu autem dignum est, quod Matthæus & Marcus dicunt, Iesum baptizatum confestim ex aqua ascendisse, ut nempe alacritatem & voluntatem promptissimam ostenderet in inchoando perficiendoq; opere à patre sibi commisso, quasi dicat ex Psalmo 40, 8. Ecce venio &c. Alij circa verba ista tales afferunt meditationes, Iohannem in  
 bapti-

baptizatione aliorum hominum sermone benè longo prædicasse de hoc salutari lavacro, de pœnitentia & fide in Mesiam brevi venturum, & baptismo tinctis, priusquam ex aqua ascenderent, heroico planè spiritu inculcasse, ut fructus pœnitentia dignos facerent. Verùm quia baptismi Θεωπια alia fiat ratio quàm Ψιλῶν ἀνθεώπων, idcirco Iohannem tale quid in baptismo Christi omisisse, unde factum, quod accepto baptismo statim ascenderit.

cap. 3, 32.

XXI. Post ascensum in ripa Iordanis Christus ad orationem se composuit, attestante Luca. Licet autem verba formalia orationis non sint expressa; tamen nullum est dubium, quin in genua sua provolutus, DEO Patri gratias egerit devotissimas, quod jam adduxisset tempus redemptionis generis humani, eundemq; simul obsecravit, ut ministerij cursus jamjam inchoandus feliciter & cum multorum hominum salute consummetur.

Marc. 1, 10.

XXII. Preces Christi ardentissimas Pater cœlestis non solum exaudivit, sed etiam tribus illustribus miraculis ingressum ministerij confirmare dignatus est, quorum I. Cœli apertio vel diffissio, non quidem facta physicè in morem chasmatis, nec allegoricè, qualem DEVS promisit Malach. 3, 10. quando commodam aëris tempestatem & terræ fecunditatem largitur, nec ut Petrus in ἐκστάσει cœlum apertum vidit, sed modo planè singulari, extraordinario & miraculo, reali interim ac corporeis oculis patente, ut edoterentur circumstantes, hunc  
Doctos

Doctorem esse coelitus missum, qui expiato peccato  
& pace inter DEVM & homines factâ per mini-  
sterium Evangelij credentibus coeli portas sit rese-  
raturus. Huc referatur typus scalæ Iacobæ, quem  
Christus ipse ad se allegavit, Job 1. v. ult.

xxii. Alterum miraculum est visibilis apparitio  
Spiritus sancti in forma columbæ, qui coelitus se  
demittens non solum insedit Christo, sed etiam  
mansit super eum, non quod Christus columbæ  
istius speciem semper circumtulit secum, sed  
quia omnia ejus dicta & facta testarentur Chri-  
stum juxta humanam Naturam Spiritum san-  
ctum plenissime accepisse, cujus virtus nunquam  
tum in concionibus tum miraculis, aliisque acti-  
onibus eum destitueret. Licet autem Spiritus  
sanctus essentia suæ infinitate invisibiliter ubiq;  
præsens sit, & orbem terrarum impleat: hinc ta-  
men invisibilem essentia & virtutis suæ præsen-  
tiam visibili columbæ symbolo ostendere voluit.  
Unde rectè dicimus, descendisse ipsum Spiritum  
sanctum, cum species illa columbæ descendit,  
quippe quæ hujus patefactionis manifestæ Spi-  
ritus sancti erat organum seu medium.

xxiv. Sciendum verò, quod hic descensus Spiri-  
tus S. fuerit. 1. Complementum oraculi divini ad  
Johannem facti, Joh. 1, 33. quo certior reddi de-  
buit, hunc Iesum esse DEI filiū, verumq; Messiam  
ex innumera ista hominum ad baptismum suum  
accurrentium multitudine. 2. Indubitatum do-  
cumentum, Christum esse unctum non oleo cor-  
porali, sed Sp. S. & virtute, non quidem ac si Sp. S.  
columbæ formâ descendens eum tunc primum  
unxerit, sed potius ut unctum, id est, Messiam de-  
clararet, quo publicè innotesceret Johanni &  
aliis, hunc esse conceptum à Sp. S. & hunc esse vi-  
rum illum, de quo Johannes testificatus fuerit,  
quod Sp. S. & igne baptizaturus esset.

*Psal. 45, 8.*

*Isai. 61, 1.*

*Act. 10, 38.*

*Comment.  
super Matt.  
3. cap.*

*lib. 2. de con-  
sensu Evang.  
c. 14.  
In Harm.  
cap. 17.  
Super Lucam  
pag. 184.*

XXV. Occurrit hic quaestio: An Columba, in qua Spiritus sanctus apparuit, fuerit vera Columba, an verò illius simulacrum duntaxat? Resp. piè & absque omni salutis jactura hoc posse ignorari, attamen quia DEUS, Scriptura teste, non solet ludere homines inanibus phantasmatis nec verò videatur simile, hac in patefactione DEUM JOHANNIS & circumstantium oculos glaucomate perstrinxisse, & Lucas expressè *σωματινὸν εἶδος* appelliter, ideò corporeum quiddam fuisse perquam probabile est. Interim licet certò non possit affirmari, quòd talis aliqua fuerit columba, quales nostræ; tamen corporeum quiddam fuisse vi allegatarum rationum cum D. Hunnio asserere non dubitamus.

XXVI. Terium miraculum est Vox aeterni Patris aperto de cælo sonans, & juxta Marcum & Lucam directa ad Christum, Tu es filius &c. juxta Matthæum autem ad Johannem & circumstantes, Hic est filius meus &c. Variatur locutionem Evangelistæ, salvâ tamen sententiâ, ait Augustin.

XXVII. Diversæ narrationis causam Chemnitius & cum eo D. V. Vinckelmannus, hanc esse dicit simplicissimam, quòd vox Patris bis dicatur facta, primò ad Christum, deinde ad astantes, ut illis commendaretur audiendus. Desumpta est autem vox ista potissimum ex Psal. 2, 7. & Isai. 42, quæ hoc insinuare videtur: Tu es filius meus, non adoptivus, non putativus, sed unigenitus & naturalis, quem ab aeterno genui, adeoque mihi carissimus, in te mihi complacitum est, quasi dicat, non solum in te acquiesco, te benevolentiam complector, & erga te benè affectus sum, sed etiam in te ac propter te sum animo placato erga universum genus humanum, quâ voce Pater cælestis declaravit, se propter filium omnem in nos indignationem jam deposuisse, & propter eundem credentes paternam benevolentiam complecti.



XXVIII. Verùm abrupta videri poterat vox Patris, nam Matth. 17. in transfigurationis historia adduntur hæc verba, *Hunc audite*, quæ quin ad præsens quoque inaugurationis negotium pertineant, nullum est dubium. Christus itaque hac voce Patris ad ministerium quasi solenniter ordinatus & evocatus fuit: res enim erat condecens, ut Christus Messias illud propriâ auctoritate invaderet. Et quoniam quoad personam planè ignotus erat, & verò ad hoc munus jamdudum deputatus, ideo in hoc suo baptismo utpote ministerii exordio à Patre cœlitis quasi ordinandus, præsentandus & commendandus fuit circumstantibus, ut ipsum, quippe Messiam publicè renunciatum ac declaratum audirent. Et hæc fuit admiranda illa Trinitatis patefactio, ex qua, Epiphanio teste, contra Sabelium multa depromi possunt argumenta; inter alia etiam sic scripsit: Si non credis in divina essentia, quæ Unica est, esse tres distinctas personas, comitare Johannem ad Jordanem, & videbis &c.

C A P. IV.

XXIX. Dicas cur Christus ἀναμάρτητος voluerit baptizari eo baptismo, qui pro peccatoribus institutus est? Quæstio ἀξιομαστος, ad quam Christus ipse respondet, dicens ad Johannem, πρέπον ὅτιν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. Missis autem hac vice variis interpretationibus, Christum hoc velle autumamus, se nimirum venire & petere baptismum à Johanne, non ac si ipse hoc lavaero indigeret, sed sic oportere fieri, ut uterque cum Johannes baptismum administrando, tum ipse eundem suscipiendo undiquaque officio factis faciat, præsertim tùm ad ministerium suum pertineat, illius justitiæ, quâ credentes gratis coram DEO ad vitam æternam sanctificandi sunt, non partem aliquam, sed omnia, quæ ad illam pertinent, implere. Debuit quippe Christus esse perfectus autor nostræ salutis, non solum eam per mortem acquirendo, sed etiam tanquam verus & perpetuus sacerdos eam applicando per certa media & organa, quæ ipse sanctificavit, officiamus, DEUM velle per ista esse efficacem usque ad consummationem seculi.

xxx. Specialiores causæ baptismi Christi aliàs recensentur plurimæ, ex quibus hæ non sunt postremæ: I. Ut baptismum nostrum sanctificaret & consecraret in salutare organum & lavacrum regenerationis, Tit. 3, 5. II. Ut peccata nostra ablueret, & in aquam baptismalem omne id, quod per meritum acquisivit, immitteret, ut omnibus, qui baptiscentur, illud appliceretur, & quasi approprietur. III. Ut suo exemplo baptismi dignitatem nobis altiùs commendaret, simulq; necessitatem ejus demonstraret contra eos, qui baptismum superciliose contemnentes dicunt, vel certè secum cogitant, quid mihi paucula aqua ad salutem prodesset? id quod Pharisæos factitasse constat ex Luca 7, 30.


#### C A P. V.

Ex iis, quæ jam pertractata sunt, multæ eæque insignes doctrinæ efflorescunt, ex quibus duas notabimus: I. Ut baptismum nostrum dignè æstimemus & magnificiamus. Licet enim in dispensatione nostri baptismi cælum non aperiatur visibiliter, nec tota Trinitas corporeis oculis conspici queat, uti in baptismo Christi factum esse constat: sciendum tamen in nostro baptismo non ad actionem ministri duntaxat respiciendum esse, sed certò potiùs statuendū, isti baptismali actui præsentissimè adesse rotam Trinitatem, licet non visibiliter, ibi enim Christum induimus, Gal. 3, 7. qui Sp. S. super nos effundit, copiosè Tit. 3, 6. ibi etiam sonat vox beneplaciti Patris cœlestis, qui nos sibi in filios adoptat, quæ vox soli fidei perceptibilis est.

II. Ut ad ministerium Ecclesiasticum non nisi legitimè vocati accedamus, quia Christus illud occupare noluit, priùsquam voce Patris cœlestis facta ad capessendum ministerium fuisset evocatus. Nemo igitur nisi quem Deus hac gratiâ dignatus fuerit, temerario ausu eidem se ingerere, aut malis artibus, dolis, largitionibus, aliisque mediis illegitimis vocationem extorquere præsumat, sed quisque legitimam vocationem expectare debet, & tunc in omnibus vocationis suæ laboribus gaudebit tranquillitate conscientie, fiducia DEUM invocabit, in quibuslibet periculis erit ingenti animo, totumq; suum cursum ac ministerium à Domino Jesu acceptum cum gaudio consummabit.

Act. 20, v. 24.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

LOGIAS SACRÆ

Trigesima prima,

De

MOCHRI.

MINISTERII

hoatione.

Quam

ente Θεανθρώπων

PRÆSIDIO

ASARIS MEISNERI

neol. D. & P. P.

legio ad disputandum

proponit

CHLIMBACH Schleu-  
s Hennebergicus.

em 24. Octob. horis pome-  
ridianis

itorio minori.

TEBERGÆ

orman excudebat,

o cl. Is CXIX.